tum punctum D. Eademratione, si super basem CD, triangulum construatur CDE, triangulo BCD, æquilaterum ordine prædicto, ita vt latus DE, lateri CB,



& latus CE, lateri BD, æquale sit, inuentum erit aliud punctum E, per quod circumferentia incedat. Atque eadem arte reperietur aliud punctum F, per triangulum DEF, triangulo EDC, æquilaterum, &c. Eodem modo ex altera parte reperietur aliud punctum G, per triangulum ABG, triangulo BAC, æquilaterum, & sic deinceps. Si igitur eligantur tria puncta, ita vt rectæ ea connectentes constituant quasi angulum rectum, qualia sunt tria puncta A, C, D, & ex proximis A, C, ad quodcunque idem interuallum bini arcus describantur, & ex proximis C, D, bini alij; ac per intersectiones horum arcuum rectæ lineæ emittantur, secabunt se se in centro H, &c. Aptissima quoque essent tria puncta G, B, D, quamuis angulus DBG, acutus sit. Item tria puncta G, B, E, & C, E, F, &c.

PROBL. 7. PROPOS. 14.

DATO excessu diametri Quadrati supra latus: Item dato excessu diametri Rhombi supra latus, vel lateris supra diametrum (quando illud maius est) vna cum vno Rhombi angulo: Dato præterea excessu diametri rectanguli supra vtrumlibet laterum inæqualium, vna cum angulo, quem diameter cum eo latere facit, vel vna cum proportione eorundem inæqualium laterum: Dato deniq; excessu diametri Rhóboidis supra vtrumuis laterum inæqualium, vel vtriusuis inæqualium laterũ supra diametrum (quando illud maius est) vna cũ vno angulo Rhomboidis, & insuper cum angulo, quem diameter cum eo latere facit, vel insuper cum proportione duorum laterum inæqualiũ; Quadratum ipsum, Rhombũ, Rectangulũ, & Rhomboides constituere.

Hoc